



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 212. An obligationes testatoris transeant ad hæredem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

pro tota vita spurii, *Lugo* num. 126. Vide etiam *Less.* in Auct. v. *Illegitimus*. Casu 1. Hæredes autem Patris habent eandem obligationem alendi spurium, si Pater non providerit, *Lugo* num. 125. Item ascendentes paterni, si Pater aut hæredes deficiant, *Lugo* num. 136.

§. 6. Legitimati per rescriptum Principis non succedunt cum legitimis, nisi fuerint legitimati ante natos legitimos, tum enim æqualiter succedunt, *Stryck.* §. 72. *Castrop.* T. 13. D. 4. P. 4. §. 2. N. 17, uti & tum æqualiter succedunt, si sint quidem legitimati post natos legitimos, attamen Princeps legitimans noluerit hoc illis obesse, *Castrop.* §. 4. N. 6. Comitibus tamen Palatinis ordinariè non censetur data potestas sic legitimandi, nisi in tenore addatur, *Stryck.* §. 74. Beneficium autem legitimationis per Principem, secundum *Stryck.* Dissert. 7. c. 2. §. 36. etiam extenditur ad natos ex stupro, adulterio vel incestu, possuntque illegitimi legitimari per rescriptum Principis etiam in præjudicium Agnatorum, si legitimi Filii non adsint, fieri tamen debet vivo adhuc Patre vel saltem sic destinante, uti si illegitimum scripserit hæredem sub conditione petendi legitimationem à Principe, *Stryck.* §. 75. aliique cum *Lugo* num. 113, ubi dicit spurium posse à patre institui hæredem, sub conditione, si à Principe legitimetur. Videri possunt plura apud *Mol.* suprà, *Azor* P. 2. L. 2. c. 7. & seqq. *Lugo* Sect. 6. & 7. An filia possit exhæredari, si nubat invitis Parentibus, dicitur Lib. 6. de Sponsalib. ad D. 2. Non posse autem exhæredari ob ingressum in Religionem, dicitur Lib. 4. Num. 51.

Q. 212. An obligationes testatoris transeant
ad

ad heredem. R. Satis colligi potest ex dictis p. 1. à n. 337. & à n. 477. item hic à n. 237. & à n. 490. & n. 1046. potestque etiam videri *Lugo* d. 23. à n. 98. Et universaliter notandum est, quòd hæres teneatur perficere negotia à defuncto inchoata & nondum finita, L. *Hæres*. 40. ff. Pro Socio: L. *Nam & Servius*, §. 2. ff. De negot. gestis. Adde tamen, si testator dixerit, *hæres meus infra scriptus* (qui est v. g. Titius) peregrinetur pro me *Lauretum*, aut det 100. aureos pauperibus, si Titius non fuerit peregrinatus, Cajus hæres Titii non satisfacit peregrinando, sed debet dare 100. aureos pauperibus, quia Tò *infra scriptus* notabat solum heredem immediatum, obligatio autem realis Caji est inde, quia repræsentat personam Titii, qui quia peregrinationem non explevit, tenebatur ad istam eleemosynam, ita *Sanch.* in Dec. l. 4. c. 15. num. 31. *Lugo* in Resp. mor. l. 6. dub. 13. ubi universim examinat, an hæres hæredis teneatur ad pœnam à testatore impositam. An autem obligatio restituendi famam transeat ad heredem, dicetur n. 1256. Denique hic notandum, si testator in vivis habuerit piam voluntatem aliquid faciendi, v. g. fundandi beneficium, si hæredi vel hæreditati non imposuerit eam obligationem, sicuti voluit testator ex devotione facere, ita poterit hæres pro libertate omittere.

1170 Q. 213. Quid intelligatur per *Falcidiam & Trebellianicam*. R. §. 1. *Falcidia* est ea pars bonorum, quam detrahit hæres à legatis vel donationibus mortis causâ factis, quousque impleat suam Legitimam per illa legata vel donationes imminutam, si fit hæres necessarius; aut quousque separet quartam partem bonorum, si fit hæres, cui nulla debeat Legiti-